

The Hare and the Tortoise

Testūdō, quod ab aliīs animālibus dēridētur, leporem ad certāmen prōvocat. Lepus superbē rīdet et ait: "Cursus jam perficitur!" Alia animālia autem cursum statuunt et vulpem faciunt iudicem. Vulpēs latrātū sīgnum dat. Lepus et testūdō ex carcere prōcēdunt. Lepus summam celerī pede harēnam lībat, sed testūdō tardō pede prōcēdit.

Lepus testūdinem longē post tergum relinquit. Mox gradum sistit, et testūdinem exspectat. Tandem somniculōsus jacet et dormit.

Intereā testūdō gradū tardō et cōstantī prōcēdit. Leporem dormientem praeterit et ad mētā appropinquat. Subitō lepus ex somnō excitātur, sed nōn jam vincere potest. Trīstis ex campō discēdit. Vulpēs et alia animālia clāmant et victōrem laudant.

Celeritās et superbia cōstantiā vincuntur.